

cum balsamum suavissimum. In angelico eius aspectu virgineae castitatis pullulabat liliū praeter alia dona spiritualium charismatum. Quodcumque verbum interius doctor spiritus sanctus calamo intelligentiae chyrographo virginei pectoris exaravit, hoc bulla Christi membrotenus apposita cum sacris stigmatibus stabilivit. Quapropter plurimi Christi fideles odore virtutum eius delectati et allekti quaerebant, eius florido aspectu et consolatorio affatu spiritualiter revelari. Huius rei gratia venerabiles patres Richolfus Arnesburgensis et Henricus Hegenensis monasteriorum abbates hanc dedicatam virginem visitare solebant, quando viam generalis capituli Cisterciensis²⁹ peragrabant. Accidit itaque, quod hi duo secundum tempus ab ordine definitum aliquando ad dictum capitulum ituri diem et locum conveniendi mutuo condixerunt. Instante igitur oportuno tempore aggrediendi iter Henricus abbas in Hegene citatione mortis peremptoria a domino vocatus est altero suo consorte hoc penitus ignorante. Richolfus vero abbas Arnsburgensis ad iter procinctus locumⁿ nominatum termino conducto adivit sperans suum consortem illic invenire praesentem vel quantocius affuturum. Cum expectatus aliquamdiu non compareret, ulterius progressus est credens certissime, eundem abbatem apud memoratam sacram virginem invenire. Unde non minus anhelo corde quam corpore cum omni festinatione coeptum peregit iter accedensque ad illam interrogavit eam dicens: „Dic mihi, dilecta, numquid venit ad te venerandus pater noster, abbas Henricus de Hegene?“ Quae respondit: „Quomodo huc venire potuit, qui migravit a saeculo et vivit cum Christo?“ Et subiunxit: „Hodierna dies quarta decima est, qua dominus hunc florem de terra succisum collegit et paradisi liliis aeternum virorem habentibus complantavit.“ Et rursum: „Ego ipsa“, inquit, „cum angelicis excubiis funeri eius obsequium praestiti et animam ipsius usque ad ingressum paradisi in spiritu prosecuta fui.“ Quo audito vir devotus coepit mirari et ab imo cordis suspiria trahere et gemitus. Christi vero famula cernens Ricolfum tristem et attonitum sic eum allocuta est: „Dilecte pater, hoc indicium, quod tibi praebeo, omnem tibi eximat scrupulum. Corpus huius dilecti nostri amici abbatis Henrici conditum est in tumulo Gotfridi de Merenberg monachi. Sicut hi duo viventes in carne olim in uno collegio, ita defuncti potiti sunt etiam unius sepulchri gremio, quorum

n) *dahinter wiederholt* locum W₁.

29) *Das Generalkapitel der Äbte in Cîteaux fand jährlich um den 14. September statt. Vgl. DDC 3 (1942) Sp. 750.*